GREGORIUS MAGNUS
Mitte 12. Jh. Seite 40r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36533
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



40

et coeterno patre nascitur. eius uia occulta est. Vnde et per prophetam dicitur:
Generationem illius quis enarrauit. Locus vero intelligentie eius est hu
mana gens. quam hec dei sapientia dum repleuerit scam facit. Quia ergo
et inuisibilis est de quo prodiit. et incertum nobis est in cuius mente intel
lecta requiescat. recte nunc dicitur. Vnde ergo sapientia uenit. et quis est
locus intelligentie. Sed hoc ualde mirum est quod protinus subinfertur.
Abscondita est ab oculis omnium uiuentium. Sapientia quippe que
deus est. si omnium uiuentium oculis occulta esset. hanc procul dubio sanctorum
nemo uidisset. Sed ecce huic sententie iohannis audio concordan
te qui ait. Deum nemo uidit unquam. Rursumque testamenti ueteris
patres intueor. multos horum teste ipsa sacre elocutionis his
toria deum uidisse cognosco. Vidit quippe iacob dominum qui ait.
Vidi dominum facie ad faciem. et salua facta est anima mea. Vidit mo
yses deum de quo scriptum est. Loquebatur dominus ad moysen facie ad fa
ciem. sicut loqui solet homo ad amicum suum. Vidit isdem iob dominum
qui dicit. Auditu auris audiui te. nunc autem oculus meus uidet te.
Vidit ysaias dominum qui ait. Anno quo mortuus est rex ochias uidi
dominum sedentem super solium excelsum et eleuatum. Vidit micheas dominum
qui dicit. Vidi dominum sedentem super solium suum. et omnem exercitum
celi assistentem ei a dextris et a sinistris. Quid est ergo quod tot testa
menti ueteris patres deum se uidisse testati sunt. et tamen de hac sapi
entia. que deus est dicitur. abscondita est ab oculis omnium uiuentium.
Et iohannes ait. Deum nemo uidit unquam. nisi hoc quod patenter datur
intelligi. quia quamdiu hic mortaliter uiuitur. uideri per
quasdam imagines potest. sed per ipsam nature sue speciem non potest.
ut anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam deum uideat. sed ad
ipsam uim eius essentie non pertingat. Hinc est enim quod iacob qui deum
uidisse se testatur. hunc non nisi in angelo uidit. Hinc est quod mo
yses qui cum deo facie ad faciem loquitur sicut homo loqui solet
cum amico suo. ei inter ipsa uerba sue elocutionis dicit.
Si inueni gratiam in conspectu tuo. ostende mihi te metip
sum manifeste ut uideam te. Certe enim si deus non erat cum